

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES**  
**UNIVERSITY OF TORONTO**

*Level Two Medieval Latin Examination*

**8 September 2010**

\*\*\*\*\*

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

\*\*\*\*\*

**1. Poggio Bracciolini explains why greed is good (1428)**

Illud quippe maius ac foedius est vitium iudicandum, ex quo magis animus noster corpusque labefactatur et corrumpitur. At certum est luxuriam magis quam avariciam enervare corpus et animum perturbare. Ergo fit ut luxuria turpius sit vitium. At vero luxuria et corporis et animi virtutes infringi ac dissolvi satis constat. . . . Haec adversatur studiis litterarum, quassat membrorum firmitatem, ex viro femellam reddit, ex docto ignarum, stultum ex sapiente, memoriae vero est inimicissima. Itaque videbitis luxuriae deditos, nullius animi, nullius vigoris, nullius prudentiae, vecordes, contemptos, abiectos. At avaros contra fortes, prudentes, industrios, severos, temperatos, et animi magni, et plurimi consilii. Luxuria quoque semper nocuit, avaricia profuit aliquando. . . . Non subvertit animum, non exagitat ingenium, non aufert studia litterarum et sapientiae disciplinam. Nam et in omni genere doctrinae excellentissimos viros, et in republica praestantes, scimus avaros fuisse. Reges insuper et egregios principes, quorum virtus maxime claruit, avaros accepimus, ut si alterum mihi sit eligendum malim avarum me quam luxuriosum videri.

## **2. Augustine recalls his baptism at Milan**

Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oporteret, relicto rure Mediolanium remeavimus. Placuit et Alypio renasci in te mecum, iam induto humilitate sacramentis tuis congrua, et fortissimo dominatori corporis, usque ad Italicum solum glaciale nudo pede obterendum insolito ausu. Adiunximus etiam nobis puerum Adeodatum, ex me natum carnaliter de peccato meo. Tu bene feceras eum. Annorum erat ferme quindecim, et ingenio praeveniebat multos graves et doctos viros. Munera tua tibi confiteor, domine deus meus, creator omnium, et multum potens formare nostra deformia: nam ego in illo puero praeter delictum non habebam. Quod enim et nutriebatur a nobis in disciplina tua, tu inspiraveras nobis, nullus alius: munera tua tibi confiteor. . . . Cito de terra abstulisti vitam eius, et securior eum recordor, non timens quicquam pueritiae nec adolescentiae nec omnino homini illi. Sociavimus eum coevum nobis in gratia tua, educandum in disciplina tua: et baptizati sumus, et fugit a nobis sollicitudo vitae praeteritae.

## **3. Cured of leprosy, Constantine gives Pope Sylvester an empire (forgery, ca. 750)**

Et dum haec praedicante beato Silvestrio agnoscerem et beneficiis ipsius beati Petri integre me sanitati comperi restitutum, utile iudicavimus una cum omnibus nostris satrapibus et universo senatu, optimatibus etiam et cuncto populo Romano, gloriae imperii nostri subiacenti, ut, sicut in terris vicarius filii dei esse videtur constitutus, etiam et pontifices, qui ipsius principis apostolorum gerunt vices, principatus potestatem amplius, quam terrena imperialis nostrae serenitatis mansuetudo habere videtur concessam, a nobis nostroque imperio obtineant. . . . Unde ut non pontificalis apex vilescat, sed magis amplius quam terreni imperii dignitas et gloriae potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut praelatum est, quamque Romae urbis et omnes Italiae seu occidentalium regionum provincias, loca et civitates saepefato beatissimo pontifici, patri nostro Silvestrio universali papae, contradentes atque relinquentes eius vel successorum ipsius pontificum potestati et ditioni firma imperiali censura per hanc nostram divalem sacram et pragmaticum constitutum decernimus disponenda atque iuri sanctae Romanae ecclesiae concedimus permanenda.

#### 4. Bede on night and the effects of the earth's shadow

*Nox dicta quod noceat aspectibus vel negotiis humanis* sive quod in ea fures latronesque nocendi aliis occasionem nanciscantur. Est autem nox solis absentia terrarum umbra conditi donec ab occasu redeat ad exortum, iuxta quod naturam eius et poeta describens:

. . . *ruit, inquit, oceano nox,  
involvens umbra magna terramque polumque*

et Salomon sacris literis expressit, *qui pascitur inter lilia donec aspiret dies et inclinentur umbrae*, eleganti utique sensu decessionem noctis inclinationem appellans umbrarum. Nam quoniam pro conditionibus plagarum quibus solis cursus intenditur et splendorem eius a nobis obiectio terrenae molis excludit, inumbratio illa quae noctis natura est ita erigitur ut ad sidera usque videatur extendi; merito contraria vicissitudine, id est lucis exortu, umbras inclinari, noctem videlicet deprimi pellicque signavit. Quam videlicet umbram noctis ad aeris usque et aetheris confinium philosophi dicunt exaltari, et acuminatis instar pyramidum tenebris lunam, quae infima planetarum currit, aliquando contingi atque obscurari, nullumque aliud sidus taliter eclipsim, hoc est defectum sui luminis pati.